



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

181. Sabb. Septem res in Venerabili.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

*Feria 6. post Fest. Corp. Christi.* 319

3. Accidentia manent sine subiecto: orabo, & dicam: O JESU, da tibi soli inniti.

4. Accidentia operantur suos effectus: orabo, & dicam: O JESU, da tibi cooperari.

5. Christus ibi non habet usum sensuum naturalem, quamvis habeat supernaturalem: orabo, & dicam: O JESU, aufer à me omnem abusum sensuum, & da sanctissimam potentiarum usum.

6. Est ibi indivisibilis: orabo, & dicam: O JESU, da tibi indivisibiliter adhærere ex toto.

7. Est ibi inseparabilis: quia manet, quam diu accidentia non corrumpuntur: orabo, & dicam: O JESU, da tibi inseparabiliter adhærere semper. Adde, quod sit invisibilis, propter indignitatem pravorum, & fidem bonorum. Albert. Magn. Serm. 7. Ee ut sit ex Fide meritum, petam augeri Fidem ubique hujus Mysterij.

MEDITATIO CLXXXI.

*Sabbato post Fest. Corporis Christi.*

*Septem res in Venerabili.*

**A**spiciam in Venerabili contineri Christum Corpus, Sanguinem, Animam, Virtutes, Divinitatem, Personas Divinas: unde mihi convivium est cum Deo. Petam ex singulis fructum percipere.

○ 4

Conf.

320 *Sabbato post Fest. Corp. Christi.*

*Conf. 1.* In Venerabili vi verborum esse Corpus Christi: orabo, & dicam: O Jesu, incorpora me tibi, & fac me unum de tuis in concreto, seu prædestinatis.

2. Esse ibi Sanguinem Christi, per concomitantiam: orabo, & dicam: O Jesu, per Sanguinem tuum fiat cor meum immaculatum, & caro mea, ut non confundar.

3. Esse ibi animam Christi: orabo, & dicam: O Jesu, fac animam meam secundum Animam tuam.

4. Esse ibi virtutes Christi: orabo, & dicam: O Jesu, fac me participem earum secundum prædestinationem meam, voluntatem tuam.

5. Esse ibi Patrem, similiter per concomitantiam: orabo, & dicam: O Jesu, subtraham mihi hanc die potētiam prævisam, efficacem ad omnem actum mentis, oris, operis, repugnantem SS. Legi, Consilijs, & inspirationibus tuis: Et da potentiam efficacem ad omnem actum conformem voluntati, nutui, & gustui tuo.

6. Esse ibi Verbum: orabo, & dicam: O Jesu, aufer à me ignorantie tenebras, & illumina vultum tuum super nuntium tuum: sum enim imago Dei.

3. Esse ibi Spiritum sanctum, orabo, & dicam: O Jesu, da mihi septem dona Spiritus

*Domin. infra Oct. Corp Christi.* 321

tus sancti, & duodecim fructus ejus. Orabo  
etiam B. Virginem, ut cum hic etiam sit  
Caro & Sanguis ejus, dignè ijs frui possim.

MEDITATIO CLXXXII.

*Domin. infra Oct. Corporis Christi.*

*In Eucharistia sunt omnia.*

**V**idebo mensam illam magnam, coelestem, plenam pinguedine vitæ æternæ, ubi spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur, cum bonis omnibus: *Quia Deus hic nobis datur, & Deus est omnia*, ait S. Cyrill. hic Petam agnoscere omne bonum hîc contentum, eoque frui.

*Conf. 1.* Septem accubitus Regis Christi: In sinu Patris, in sinu Virginis, in Præsepio, in Cruce, in iustis, in dextera Dei, in Venerabili: Ubi proponitur vitulus signatus, quia *hoc Venerabile Sacramentum est impinguatum dilectione, propterea figuratum fuit per vitulum saginatum* ait S. Bernard. Senens. tom. 2. & Filius senior indignatur, nam ferè natura Angelica turbatur, non vestem gratiæ, non annulum Fidei æmulans, sed vitulum saginatum, Corpus, & Sanguinem Domini.

*Conf. 2.* Quomodo in hoc accubitu & ferculo parâdo, Deus suam omnipotentiam impenderit, & totam insumpserit juxta illud

○ § Bernardi,